

§. 1. Quas, ubi opus fuerit, idem rusticus recludere et sepire, et praecustodire, ac dum maturescerent, deposito proventu terragii, Domino terrestri juxta loci consuetudinem, pro se recipere et levare possit.

§. 2. Et si quis colonorum, ac hominum illius Domini terrestris, aut etiam ipse Dominus terrestris, in seminaturis ipsis, sive in aliis quibuscunque rebus, quoquo modo damna illi intulerit; extunc talia damna, colonus ille, vel Dominus ejus terrestris, jure requirere valeat.

Colonum contra jus et aequum detinentis poena.

A r t i c u l u s 24.

Ubi vero aliquis Dominorum, aut Nobilium, hujusmodi colonum, modo praemisso, repetitum et licentiatum, pacifice dimittere nollet et eundem violenter detineret;

§. 1. Extunc colonus ille, per Comites et Vice-Comites, ac Judices Nobilium, cum onere viginti quinque marcarum, per eosdem, super violentum detentorem talis coloni, irremissibiliter exigendarum, Domino, aut Nobili, qui colonum petiturus fuerit, restituere debeant et teneantur.

Ad expensas Regni communis contributio.

A r t i c u l u s 25.

Praeterea, diversis negotiis Regni instantibus, certis vicibus Oratores ad Regiam Majestatem mittere et pro expensis eorum mutuum contrahere, vel sese obligare fuimus coacti.

§. 1. Accessit etiam, ut pro faciendo judicio, electi sint Assessores Sedis, quibus similiter de expensis providendum erat.

§. 2. Itaque impositae sunt pecuniae fumaes *) decem denariorum, ut de omnium tam Dominorum, quam Nobilium bonis, ac etiam a Nobilibus unius sessionis, juxta numerum novissimae dicationis exigantur et ad manus Dominorum Vice-Banorum administrentur.

§. 3. Domini autem Vice-Bani, de eisdem pecuniis fumaalibus, solvant Magnifico Domino Francisco Batthani ducentos et sedecim florenos, quibus eidem in sortem illarum expensarum suarum, quas anno praeterito in legatione nostra ad Regiam Majestatem missus, exponere fuit coactus; debitores extiteramus.

§. 4. Similiter Oratoribus, qui nuper ad Gerecz, **) ad Regiam Majestatem profecti erant, singulis eorum florenos decem.

§. 5. Assessoribus vero et Judicibus Nobilium, qui in judiciis manebunt; singulis eorum, pro singula hebdomada duos florenos solvant.

§. 6. Residuum autem pecuniarum conservent ad alias necessitates Regni.

§. 7. Et quod juxta commissionem et voluntatem Regiae Majestatis, ab Egregio Emerico Bradach, de universis Regni proventibus, cujuscunque generis fuerint, anno proxime elapso ad manus suas administratis, justa ratio recipiatur.

*) Sic dictae; quod pro numero focorum, seu caminorum exigenterentur.

**) Graecium Styrorum.